

(78) Viro generosissimo atque nobilissimo
 D. D. C. a Linné
 Archiatro meritissimo, Equiti
 splendidissimo, Professore celeberrimo etc.
 s. p. d.
 J. C. Fabricius

Litteras TVAS exoptatissimas de 15 Octob. heri a Zoëga meo habui. Laetor TE valere, laetor TE mei memorem viuere et studiis meis fauere. Beneficiis sane multis me semper cumulasti, nec vnquam desinis beneuolentia solita me beare. Per mensem nunc dego Londini, vbi sane amplissimae sunt historiae naturalis collectiones, in primis ex America Boreali. Vidi stupendum illud Musaeum Britannicum, quod et plantis non descriptis et insectis haud determinatis abundat. Vt ipse haec inspicere, examinare, determinare valeres, toto sane pectore optarem, quum catalogum huius musaei vix ac ne vix seri videbunt nepotes. O felix ego, si ex hoc thesauro TIBI communicare liceret, quum e plurimis est speciminum numerus; at proh dolor vix vnquam alteramue insectorum descriptionem ibi componere licet. Varia alia adsunt in primis insectorum indigenorum musaea, quae diligenter frequento, vt quondam praeceptoris optimo specimina insectorum Britannicorum communicare valerem. Hortus Botanicus Kiu dictus hic reliquis omnibus specierum numero palmam praeripuit. Visitauit eam nuperrime, at vix villae florebant plantae, reliquis hyemis rigore destructis. Promisit hortulanus, quod semina plantarum rariorum mecum communicare vellet, quae omnia ad TE mittam, quum quaedam noua ibi credo. Hodie TVO iussu Dom. Millerum Chelseae adeo, qui intra tres hebdomades semina Chelonis Pentstemon, Ortegiae Chilensis aliarumque plantarum ad me missarum asseueravit. Affirmauit ipse, se iam ter semina plura ad TE misisse, TE vero illa accepisse haud credebat, quum nondum responsum tulit, nec secundum specierum totum accepit, quem tamen a TE missum putat. Mense Januario noua prodibit editio Dictionarii sui, quam statim TEcum